

forma aliqua ab aliquo subiecto prae aliis participatur. Id quod praecipuum est in hoc modo loquendi est quaedam particula *-isnil*, cuius significatio in antecessum explicanda est.

Particula *isnil* est particula demonstrativa, quae designat unum prae aliis. Ut vis huius particulae percipiatur, esto e. g. verbum *nitkinni*, *fecit*. Si volo dicere e. g. *Deus fecit me* dicam: *Yakasinkiumiki nitkinapni*. Verum si volo ita designare Deum ut meum factorem, ut excludam alios ab huiusmodi praedicati participatione, inseram verbo *nitkinni* particula *isnil*, ac dicam: *Yakasinkiumiki nisnil-itkinapni*, *Deus est ille qui fecit me*.

Hac particula *isnil* utuntur *ksanka* pro nominibus comparativis hoc modo. Prius nominant definite duo vel plura subiecta, et postea de uno ex istis subiectis affirmant mediante verbo aliquod praedicatum, inclusa in verbo particula *isnil*. Hoc autem significat istud praedicatum ita affirmari de illo subiecto, ut alia subiecta saltem non in eodem gradu participant de illo praedicato: e. g. *na akulak*, *na k'kikul*, *akulak nisnil-sukni*, *caro*, *panis*, *caro est illa quae est bona*; quod significat carnem esse meliorem pane.

Ad comparativa efformanda uti possumus adverbio *anlunu*, quod significat *alterius*, quodque aequivalet latino *magis*: e. g. *sukni k'kikul*, *anlunu sukni akulak*, *bonus est panis*, *alterius bona est caro*: *anlunu* est forma secundaria.

Ad superlativa efformanda plures patent viae. Quando significari vult aliquod subiectum excellere in aliqua forma prae omnibus aliis subiectis similibus, superlativum ita efformatur. Prius designanda est aliqua ratione totalitas omnium subiectorum similium, deinde designandum est unum aliquod ex illis subiectis, demum adhibita particula *isnil* affirmatur de hoc subiecto forma de qua sermo est: e. g. *na kapi aklsmaknik*, *St. Mali nisnilsukni*, *omnes homines*, *Sancta Maria est illa quae bona est*, quod significat S. Mariam esse omnium hominum optimam.

Interdum ad superlativa efformanda non usurpatur particula *isnil*, ut cum dico e. g. *nsukni kapi aklsmaknik*, *bonus es prae omnibus hominibus*. Hic modus loquendi per accidens significat pra eminentiam superlativam, quatenus locutio: *tu es bonus omnes homines*, nullum alium sensum fundere potest, nisi quod tu sis